



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. IV. Quæ sint irregularitates ex delicto?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

Præterea irregularitas ex defectu natalium, tolli etiam potest per professionem in religione approbata, sed quoad ordines tantum, non quoad Prælaturas, *cap. 1. de filiis Presbyterorum. Bon part. 2. Laym. c. 9 n 6. Suar. Sanch. Less. contra Villalob. qui apud Dian. p. 4. t. 2. R. 65. dicit, tolli quoad omnia solita gubernari per Fratres illius Ordinis, ut Prioratus, Præposituras, Rectoratus, & cætera munia. Circa quæ Prælatos saltem posse cum iis dispensare, in Capitulo tamen generali vel Provinciali, notat Dian. l. c. ex Barbof. Vnde resolves.*

I. Solus Papa, & qui ab eo accepit Privilegium, potest dispensare in irregularitatibus ex defectu.

II. Confessarius in nullis irregularitatibus potest dispensare, nisi habeat speciale Privilegium à Papa.

DUBIUM IV.

Quæ sint Irregularitates ex delicto?

Resp. Prima est, ob iteratum Baptisum senio & scienter, estque irregularis tam rebaptizans, quam rebaptizatus: etsi in rebaptizante irregularitas tantum sit partialis, ne Clericus ad altiore[m] ordinem possit ascendere, neque incuratur si rebaptizatio sit occulta. *Co. v. Tolet. M. Leo. p. 3. f. 358. v. Bon. d. 7. q. 3 p. 3. Laym. l. 1 t. 5. p. 5 c. 2.*

Secunda, ex violatione censuræ, v. g. si ea innotatus actum aliquem ordinis solemniter exerceat, nisi invincibilis ignorantia excuset. *Laym. c. 3.*

Tertia, ob peccatum, quo Clericus seriò & scienter actum ordinis sacri, quem non habet, solemniter exercet, *Bon. l. c. p. 6. Laym. l. c. cap. 3.*

Quarta, ob delictum, quo quis malè suscepit ordines v. g. in excommunicatione, suspensione, vel ab Episcopo non habente jurisdictionem, vel per saltum, (licet hunc suspensum tantum esse, quamdiu non ministrat in ordine per saltum suscepto; satis probabiliter doceat *Avilla, Nav. Bon.*) Vel ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis, vel furtivè (Episcopo nesciente, nec approbante) & non examinatus, v. *Bon. d. 7. q. 3. p. 4.*

Quinta, propter enormia crimina, si sint notoria & publica, v. g. quæ à jure habent annexam infamiam, ut adulterium, raptus, incestus, perjurium in judicio.

Sexta oritur ex injusta mutilatione vel homicidio, etiam indirectè tantum voluntario, extenditurque ad omnes qui ad adulterium, sive in bello injusto, sive extra illud injustè concurrunt, consulendo, mandando. Mutilatio autem hic intelligitur, quando à corpore separatur membrum aliquod principale, id est, pars corporis, quæ officium per se distinctum habet, v. g. pes, manus, oculus, auris, &c. *M. Leo in praxi p. 3. f. 347. ex Cov. Nav. de Cens. n. 206. v. Bon p. 8. Unde resolves,*

I. Non fit irregularis, qui in rixa præscindit alteri digitum, pollicem, unguis, dentes, barbam, capillos, labia, nasum, auriculâ, (id est, cartilaginem, quæ tantum deservit ad ornatum & tutelam auris:) quia non sunt propriè membra: v. g. digitus est pars tantum & officium membri, *Avila & alii,*
cup

cum *Dian. p. 4. t. 4. R. 26.* Item *M. Leo l. c. ex Gloss. c. ult. de hom. in 6. & L. quaritur herm. 10. l. Non sun^d*
14. §. Partus. ff. de statu hom.

II. Nec fit irregularis, qui excoecavit hominem solo usu privando, non autem oculum extrahendo; nec qui debilitat tantum membrum, & non abscindit; quia non est mutilatio, *Dian. p. 4. t. 4. R. 26. ex Megal. &c.*

III. Quando plures (non ex consilio, sed in rixa) unum percutiunt, & unus lethale vulnus infligit, ex quo moritur; si constet quis hoc fecerit, hunc solum fieri irregularem docet *Sayr. & alii §.* cum *Dian. p. 2. t. 15. R. 18.* contra *Avilam, Suar. &c.*

IV. Qui infirmo bona fide dat aliquid, v. g. cibum vel potum, vel eum movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliquid circa eum operatur, ex quo mors vel ejus acceleratio præter intentionem sequatur, non fit irregularis, nisi intervenerit lata culpa, *Avila Fill. & alii 4.* cum *Dian. p. 5. t. 3. R. 117.* ubi ex *Bon. &c.* notat, Sacerdotibus & Religiosis circa moribundos licere eadem quæ laicis.

V. Qui amicum bono animo comitatur, ne periclitetur in rixa, non fit irregularis, etsi amicus occidat alium. *Avila, Henriq. &c.* cum *Dian. p. 4. t. 2. R. 17.* Limitat autem *Præpos.* nisi sua præsentia animaverit ad occidendum.

VI. In bello injusto si vel unus occidatur, totus exercitus fit irregularis, saltem si aliqua ratione sit cooperatus, *Bon. q. 4. part. 4. n. 3.*

VII. Irregularis fit, qui procurat abortum fœtus animati anima rationali, secus, si animatus non sit. *G. Majores, 32. q. 2. Bon. l. a. p. 3. n. 27. Cón. &c.*

N^o 3

VIII. Qui

VIII. Qui dans operam rei licitæ (imò secundum multos, etiam illicitæ) sufficientem diligentiam adhibuit, ne ex ea homicidium sequeretur, & tamen secutum est, non fit irregularis, ob defectum voluntarii: secus tamen, si dictam diligentiam omisit, omissione mortali, *Bonac. q. 4. p. 7. Less. l. 2. c. 9. dub. 15 &c.* Alii tamen dicunt, quod dans operam rei illicitæ, ex quavis culpa etiam levissima, incurrat hanc irregularitatem. *Panorm. Cov. M. Leo p. 3. f. 354.*

IX. Qui alterum mutilat vel occidit ad necessitatem sui defensionem cum moderamine inculpatae tutelæ, non incurrit hanc irregularitatem: quia hic nulla est culpa, ergo nec poena, *M. Leo p. 3. f. 349.*

DUBIUM V.

Quæ irregularitates ex defectu?

Resp. Prima est ex defectu animæ. Ex quo irregulares sunt. 1. Amentes, phrenetici, arreptitii & epileptici: qui tamen si ordinati sunt, & intra annum eo morbo non laborarunt; præsumuntur liberati; & permittuntur ad Ordinum exercitium. Si verò laborent rarò, & quidem sine clamore & spuma, permittuntur celebrare cum coadjutore, qui deficientibus ipsis suppleat sacrificium, *M. Leo p. 372. ex C. illud 7. q. 1. & Glossa ibid.* 2. Illiterati, qui non habent doctrinam necessariam pro Ordinibus. 3. Neophyti, seu recenter conversi, usque dum iudicio Episcopi sufficienter instructi sunt.

Sacru.